









1729, 20

FACULTATIS JURIDICÆ  
 DECANVS,  
**JO. PHILIPPVS**  
 Streit, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
 ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
 RIVS REGIMINIS,

L. B. S.



ERFORDIÆ,  
 Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.






EMMENTHALI AC STREMSIENSIS PRINCIPIS  
JO. PHILIPVS  
DECANVS

EMMENTHALI AC STREMSIENSIS PRINCIPIS  
JO. PHILIPVS  
DECANVS

EMMENTHALI AC STREMSIENSIS PRINCIPIS  
JO. PHILIPVS  
DECANVS







Sicuti solius principis est leges generales condere, ita ejus solius est leges interpretari. *L. 1. §. ult. cod. de LL.* Si voluntas legis sit in thesi dubia & obscura, quodsi in hypothesis dubia, interpretatio est jurisconsulti & judicis, cujus tamen non est mentem legis egredi. *Brunnem. ad d. L. 1. cod. de LL. n. 6. seq.* Quæ si tam aperta sit, ut de ea dubitari non possit, servanda lex est, quantumvis dura & aspera. *L. 12. ff. Qui §. à quib. manumiss.* Cum enim in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio, sed voluntas principis pro lege habenda est. *d. L. 1. §. ult. de LL.* At si verba legis non sunt adeò clara, ut excludant interpretationem ex bono & æquo, tunc illa præferenda est stricto juri. *L. 8. cod. de judiciis ubi placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quàm stricti juris rationem.* Si itaque jus positivum aliquâ parte deficiat, ita ut casus propositus nullâ probabili ratione vel interpretatione inde queat resolvi, prout frequenter accidit in humanis legibus, quippe quæ non possunt sigillatim omnes articulos, casus, & hypotheses par-



particulares decisione suâ complecti. *L. 12. ff. de LL. re-*  
*currendum est ad jus & æquitatem naturalem, & inde*  
*supplendus defectus juris positivi. Indicat hoc ipsum*  
*JCtus in L. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. plu. an. ibi: Hec æquitas*  
*suggestit, etsi jure deficiamus. Et Modestinus in L. 13. §. 7.*  
*ff. de Excusat. tutor. ibi: sufficit fidem firmare ex ipsa na-*  
*turali justitia. In defectu enim omnis juris positivi*  
*utique debet extare alia norma aut mensura justî & in-*  
*justi. Sed hæc non potest esse alia, quam lex vel æqui-*  
*tas naturalis: nam natura non deficit in necessariis.*  
*Si itaque jus positivum sit obscurum, incertum, econ-*  
*tra jus vel æquitas naturalis sit clara, certa & indubita-*  
*ta, standum est juri naturæ certo, indeque jus positivum*  
*dubium interpretandum; quia semper jus dubium &*  
*incertum interpretandum est ex jure claro & certo.*  
*Maxima inde in jure resultat utilitas, plurimæ enim ju-*  
*ris quæstiones occurrunt, in quibus duæ pluresque ple-*  
*rumque sententiæ inter se dissident, ac iis instructæ sunt*  
*fundamentis, ut diu ambigas, cui parti adhæreas; si ve-*  
*rò dicta bene ponderes & sententias illas ritè exami-*  
*nes, protinus intelliges, utra opinio prævaleat. Pro-*  
*cedit modus iste arguendi cum summa efficacîa, quan-*  
*do actus jure naturæ est permissus, sive non prohibitus,*  
*ac quæstio incidit, sitne etiam permissus jure positivo?*  
*vel quando inspecto jure naturæ actus est validus, ac*  
*dubium versatur, sitne quoque validus jure positivo?*  
*vel, quando actus jure naturæ est obnoxius restitutioni,*  
*ac ambigitur, sitne etiam obnoxius jure positivo?*  
*vel, quando spectatâ naturâ, actus est immunis ab one-*  
*re restitutionis, ac deliberatur, sitne quoque immunis*  
*jure positivo? nisi enim producat textus expressus,*  
*quo*



quo actus interdicatur, vel irritetur, aut à restitutione  
immunis proclametur, vel restitutionis obnoxius de-  
cernatur, asserendum est, quòd sit licitus, quòd validus,  
quòd rescissioni obnoxius. Sic etiam licet arguere.  
Quando jure naturæ aliquid certum est, jure positivo  
verò dubium, standum est juri naturæ certo, quia jus  
certum semper prævalet juri dubio. Sed jure naturæ  
certum est, quòd iste vel ille actus sit permissus, quòd  
restitutioni obnoxius, quòd à restitutione liber; jure  
verò positivo est dubium, quia textus clarus non occur-  
rit, quo jus positivum à naturali hæctenus recesserit: er-  
go standum est juri naturæ certo. Exemplo id de-  
monstratur. Dubitatur, an valeat donatio omnium  
bonorum? jure naturæ certum est, quòd valeat, quia  
plenus ac perfectus Dominus potest liberrimè de re-  
bus suis disponere; neque donatio talis per se gravia  
incommoda involvit, ut debuerit à naturâ reddi illicita,  
aut irritari. Sed an idem obtineat jure positivo, multi  
dubitant, & opinio, quæ donationem talem vult esse  
invalidam, videtur esse valde probabilis: partim quia  
defenditur ab eximiis Authoribus: partim, quia iis  
fundamentis nititur, quibus vir prudens moveri possit  
ad assensum. Hæc tamen opinio sequentibus argu-  
mentis impugnari potest. Donatio omnium bonorum  
est evidenter valida jure naturæ, quia jure hoc plenus  
ac perfectus dominus potest de rebus suis liberrimè di-  
sponere: ergo valet etiam jure positivo, quia textum  
contrarium non reperies, quo jus positivum à jure na-  
turæ hoc in passu recesserit, adeòque subnitrat regula,  
quòd jus certum prævaleat dubio. Item, est sententia  
certò probabilis, quòd donatio omnium bonorum sit



omni jure valida: ergo opinio opposita est evidenter dubia, quia implicat, unam partem contradictionis esse probabilem, & alteram esse certam, cum certitudinarius sententiæ non ferat probabilitatem opinionis oppositæ: ergo etiam jus, quo nititur sententia opposita, est dubium, quia repugnat, jus esse certum, ac sententiam, in eodem fundatam esse dubiam. At quando duo jura colliduntur, id prævalet, quod est certum & clarum: ergo in præsentibus jus naturæ prævalet, utpote certum & clarum. Porro, possessio certa semper prævalet juri dubio *arg. L. 126. §. 2. & L. 128. ff. de R. I.* ergo quando jure naturæ actus est permissus, is qui exercere vult actum, est in possessione certa exercendæ actionis, naturâ permissæ; ergo ab hac depelli non potest ob auctoritatem dubiam juris positivi. Plures tales controversiæ in jure occurrunt, aded ut etiam sæpe voluntas integra obscura sit, & non planè apparere videatur, veluti in *L. si ita scriptum 14. §. 1. de legat. 1.* & neque à simili, neque ex regionis more, subinde frequentato constare possit. Qualem obscuritatem aut verba, *arg. L. Quotiens 12. de reb. dub.* aut verò, ut subjicit Paulus juris consultus in *L. ita fidei 40. ff. de jure fisci.* diversitas rerum inducunt. Ut prolixius deducet in lectione cursoria ad *L. semper in obscuris 9. ff. de R. I.*

NOBILIS ET CLARISSIMI  
DOMINVS

JOANNES CHRISTIANVS

Rönig/

Natus 13. April. 1701. Mochaviæ prope Dœbelam in  
Marchionatu Misniæ. Pater fuit M. JOANNES GODO-

FREDVS



FREDVS KOENIG, Pastor Mochaviensis, Mater vero ad huc vivens est DOROTHEA MARIA, ex stirpe WEISIANA orta. Hi parentes sui laudabilem in id navarunt operam, ut & pietati & eruditioni a teneris unguiculis asvesceret, hunc in finem eum privatæ informationi M. JOH. THEOPHILI HAVPTMANNI, jam Rectoris Rosvinensis crediderunt. Ast enim inopinata luctuosaque mors dilectissimi patris anno 1714. secuta tenerum adhuc in ordinem tristissimorum orphanorum redegit, quapropter relictâ privatâ informatione Scholam Provinciale[m] Misenensem vulgò Afraneum adit, ibique eximiâ industriâ B. STVBELII quondam Rectoris, SCHREBERI jam Rectoris laudatissimi scholæ provincialis Portensis, SILLIGII, GRABNERI & KAVDERBACHII in literis humanioribus usus est. Hic sexennio feliciter præterfluxo assensu Præceptorum Academiam Lipsiensem salutavit, & in tabellas Academicas receptus Collegia Philosophica & Juridica, imprimis vero privata Consultissimi Dn. KESTNERI & Lic. EBERWEINII, quibus in jurisprudentia plurimum debere confitetur, publica autem B. LVDERI MENKENII, Ordinarii B. OLEARII RECHENBERGII, FLORENTIS RIVINI, & DINCKLERI frequentavit. Peracto ibidem fermè quadriennio Lipsia Lucenam prope Martisburgum se contulit, & Dn. CHRISTIANI AVGVSTI WEISII Advocati percelebris ad praxin forensem manuuctione per anni spatium gavifus est, nec minus dehinc ipsemet Martisburgi per quoddam tempus haud infelici successu practica specimina edidit. Tandem Facultatem Juridicam hujatem accessit, & ad  
exa-



examen Doctorandorum rigorosum, admitti decenter  
petiit, quæ huic laudabili petito annuit, & textus ex  
utroque Jure explicandos eidem transmissit, quos solidè  
enodavit, atque in ipso examine ad Quæstiones pro-  
positas ita respondit, ut unanimi consensu ad ulteriora  
admissus, & supremis jurium honoribus dignus judi-  
catus sit. Proinde cras, quæ erit X. Octobris, Lectio-  
nem cursoriam addict. *L. semper in obscuris q. ff. de R. I.*  
eâque finitâ, Disputationem Inauguralem de VENDI-  
TIONE NECESSARIA habebit. Ad quos actus so-  
lennes, Magnificus Dominus Rector, nec non Domini  
Proceres & Cives Academici decenter invitantur. Pu-  
blicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ IX. Octobr.  
M D C C XXIX.





(X228 2285)

VD  
18

ULB Halle

3


007 436 564











22

1729, 20

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,  
**JO. PHILIPPVS**  
*Streit*, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

